

L'amarezza della sconfitta

MARCUS CICERO SALUTEM DICIT LUCIO LUCCEIO, QUINTI FRATRI

Anno ab urbe condita septingentesimo nono (45 a.C.)

(1) Omnis amor tuus ex omnibus partibus se ostendit in iis litteris quas a te proxime accepi, non ille quidem mihi ignotus sed tamen gratus et optatus; dicerem "iucundus" nisi id verbum in omne tempus perdidissem, neque ob eam unam causam quam tu suspicaris et in qua me lenissimis et amantissimis verbis utens re graviter accusas, sed quod illius tanti vulneris quae remedia esse debebant ea nulla sunt. (2) Quid enim? Ad amicosne confugiam? Quam multi sunt? Habuimus enim fere communis; quorum alii occiderunt, alii nescio quo pacto obduruerunt. Tecum vivere possem equidem et maxime vellem. Vetustas, amor, consuetudo, studia paria – quod vinculum, quaeso, deest nostrae coniunctioni? Possumusne igitur esse una? Nec mehercule intellego quid impediatur; sed certe adhuc non fuimus, cum essemus vicini in Tusculano, in Puteolano. Nam quid dicam in urbe, in qua, cum forum commune sit, vicinitas non requiritur?

(3) Sed casu nescio quo in ea tempora nostra aetas incidit ut, cum maxime florere nos oporteret, tum vivere etiam puderet. Quod enim esse poterat mihi perfugium spoliato et domesticis et forensibus ornamentis atque solaciis? Litterae, credo. Quibus utor adsidue; quid enim aliud facere possum? Sed nescio quo modo ipsae illae excludere me a portu et perfugio videntur et quasi exprobrare quod in ea vita maneam in qua nihil insit nisi propagatio miserrimi temporis. (4) Hic tu me abesse urbe miraris, in qua domus nihil delectare possit, summum sit odium temporum, hominum, fori, curiae? Itaque sic litteris utor, in quibus consumo omne tempus, non ut ab iis medicinam perpetuam sed ut exiguam oblivionem doloris petam. (5) Quod si id egissemus ego atque tu quod ne in mentem quidem nobis veniebat propter cottidianos metus <et> omne tempus una fuisset, neque me valetudo tua offenderet neque te maeror meus. Quod, quantum fieri poterit, consequamur. Quid enim est utrique nostrum aptius? Propediem te igitur videbo.